IOSEPHUS TOZZI VITO FORNARI S.P.D

Giuseppe Tozzi

902

omnibus, tuisque in primis de republica sensibus, luculenter apparet, te nihil aliorum auribus dedisse, sed quod senseris revera judicasse. Qua quidem in re, pietatem in Deum tuam animique magnitudinem, mirari satis non queo, vehementerque laetor, quod ad ea omnia quae hactenus, cum scriptis, tum sermonibus docueris, maximum hoc testimonio cumulum addideris; unusque, et dicendi vi, et auctoritate, quae apud omnes summa est, tantum profeceris, quantum vix e multorum lucubrationibus, aut habitis ea de re concionibus, sperare liceret. Quamobrem in gloriosi hujus facti ratione contemplanda, novum christianae veritatis triumphum non immerito agnosco, tibique ab iis, quibus Religio plurimi esse debet, maximas gratias agendas puto, atque habendas. Equidem, quod ad me attinet, sic tibi gratulor, ut homini de Ecclesia optime merito aequum est gratulari, sic laudo, ut dignum amplissimis honoribus censeam, sic amo, ut te mihi uno carius nihil sit, aut esse possit aliquando. Fac valeas, et Ecclesiae bono vivas quam diutissime.

Neap. Kal. Sept. MDCCCLXIV.

Opus, cui titulus: Dell' arte del dire, declarat
Vitum, simul esse Rhethorem, et Oratorem.
Idem argumentum forma dicendi varia repetitum.

I. *Rhetor*, *et Orator* libro censeris eodem,
Clarus praeceptis, clarior eloquio.

II. Dum juvenes monitis dicendi fingis ad artem,
Tolleris, et vena divite, Vite, fluis.

III. Egregius linguae, foecundo pectore veri,
Mira doces — duplici laus tibi fonte venit.

IV. Artem dicendi, quae docta volumina pandunt,
Eloquii testes, et monumenta tui.

V. Quam grave rebus opus! quam pleni luce libelli!
Quantus honor, dictis gratia quanta tuis!

VI. Quid prisci eloquii fontes, quid fulmina linguae
Profers? Ipse fluis, Vite, nitesque, tonas.

VII. En duce te pubes, dicendi culta per artem;
Ars ipsa eloquio nobilitata tuo.

VIII. Est, Vite, ingenium tibi, mens divinior atque os:
Sint praecepta licet, tu quoque magna sonas.

IX. Materiam, ut niteat, facundia postulat aequam:
Res levis ast alius, fit gravis ore tuo.

X. Scilicet eloquium, dicendi distat ab arte;
Nunc facta ingenio est illa diserta tuo.

XI. Semina virtutum praeceptis inserit artis,
Inserit ardentes cordibus ille faces.

904

XII. Non satis est docuisse artem, quae semita recti
Monstras: facundo quantus in ore lepor!

XIII. Religio, pietasque tuis nitet alma libellis:
Materies tanto fertilis eloquio!

XIV. Omne tulit punctum Vitus, recreatque monetque,
Pabula dans animis, auribus apta sonans.

XV. Cum docet, eloquii unde fluat roburque nitorque,
Spernit humum, magni fundit et oris opes.

XVI. Hic puro de fonte bibas, verumque bonumque
Effluit hinc, pulchrum quidquid et arte nitet.

XVII. Tum doceas recte, dictis si consonet actum.
Exemplo est Vitus: quod docet, ipse facit.

XVIII. Hunc aequare virum studio contendis inani,
Qui docet, et mentem, quo lubet, ore trahit.

XIX. Scilicet ut fluvius, tacitis nunc leniter undis,
Nunc resonans, plenis per vada fertur aquis;

Sic lenis placidusque suo nunc defluit ore,
Nunc rapidus, magno hic personat eloquio.

XX. Cede, o Nicomachi proles, cede, inclyte Fabi,
Cedite, qui fandi quaeritis arte decus.

Hic rerum causas, nudam vos traditis artem;
Vos rivi, hic plenis volvitur amnis aquis.

XXI. Eloquii fontesque aperis, causasque disertus;
Vito, triplex, una tu trahis arte, decus.

Tu monitis *Rhetor*, facundae munere linguae
Orator, mente es iudicioque *Sophus*.

Egregius sis, Angle, faber, Galle, acer in armis:
Aure Itale, lingua cedite, et ingenio.